DE CARCINOMATE TESTIS NONNULLA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

CHIRURGICO-MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII. M. MARTII A. MDCCCLIV

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS FRID. JOAN. KOSCHNY

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. DUEMMEN, MED. ET CHIR. DR.
E. NEUMANN, MED. ET CHIR. DD.
H. BORBERG, MED. ET CHIR. STUD.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO

BERNARDO LANGENBECK

MED. ET CHIR. DR. PROF. PUBL. ORD. REGI A CONSIL. MED. INTIM. INSTIT. CLIN. CHIRUR. OPHTHALM. IN UNIVERS. FRIDERICA GUILELMA DIRECTORI ORD. COMPL. EQUITI ETC.

PRAECEPTORI BENEVOLENTISSIMO FAUTORIQUE

SUMME COLENDO

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO

EDUARDO WOLFF

MED. ET CHIR. DR. PROF. PUBL. E. IN LITTER. UNIVERS. FRIDERICA GUILELMA REGI A CONSIL. SANIT. INTIM. ORDIN. REGII DE AQUILA RUBRA EQUITI ETC.

PRAECEPTORI FAUTORIQUE PLURIMUM VENERANDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA REVERENTIA ET GRATISSIMO ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Testis morbi chronici, etiamsi omnino diversi tam decursu quam textura microscopica, nomine „sarcocele“ prius sunt appellati. Postero tempore nonnulli medici sarcocelen scroti elephantiasin et sarcomata omnes ceteros testis tumores et malignos et sanabiles vocabant. Walther primus erat, qui praeclari Joan. Muelleri exemplo testis tumores bonae indolis et carcinomata probe distinxit.

Praeterea Bell, de hydrocele aliisque testis morbis; Cooper, de testiculi morbis; Baring, testis carcinoma medullare; Albers, fungus medullaris testis cysticus, Rhein. Westphäl. Korresp. Blätter 43; Cruveilhier, „anatomie pathologique du corps humain“; maladie du testicule, cancère

alveolaire avec matière perlée; Schuh, Wiener medic. Wochenschrift 1851; Koehler, Krebs und Scheinkrebs des Menschen, aliique de hoc testis carcinomate multa scripserunt.

Quanquam illi praeclari viri jam de testis carcinomate disseruerunt, tamen equidem hanc materiam mihi desumsi, quia tres hoc morbo laborantes homines Langenbeckii benevolentia quotidie observare et sectioni interesse mihi licuit. Disquisitiones microscopicas duce Dr. Billroth, medico secundario Instituti clinici chirurgici experientissimo, perfeci.

OBSERVATIO PRIMA.

Ab. E.... quadraginta sex annos natus erat parentibus sanis, pater adhuc vivus bona valetudine viguit. Anno h. s. quadragesimo octavo sacco frumenti pleno insidens et lapidem obterens scrotum vehementer contudit et tres post horas plaustro relicto tumorem testis dextri gallinacei ovi magnitudine et nihil dolentem animadvertit. Epithematibus frigidis et quiete adhibitis, tumor fere omnino cessit. Quatuor post annos, febri rheumatica superata, tumor residuus infrictionibus unguenti Kalii jodati et involutionibus Frickianis sine ullo fructu per longum tempus curabatur. Ultimo mensis Decembris anni quinquagesimi tertii die per tempus diuturnius tempestate adversa aurigae munere fungens vehementer aegrotus perfrixit, quo facto sine ulla, ut refert, contusione testis dexter ad infantilis capitis magnitudinem accrevit et fluctuationis speciem praebuit, qui tumor autem adhibito unguento hydrarg. cinereo paululum decrevit. Tempore eodem dolores ad os sacrum et nervi ischiadici decursum pergentes, non in teste ipso exoriebantur. Die decimo octavo mensis Januarii, subflavo et limpido tumore per

punctionem evacuato, testis volumen magnitudine ovi anserini mansit. Die postero quum scrotum valde doleret, decem hirudinibus applicatis dolores deminuebantur.

Die vicesimo primo ejusdem mensis, quum aegrotus Berolinum profectus multum ambulasset, tumor volumen, quod antea habuerat, recepit, dolores et in teste et in funiculi spermatici decursu emerserunt, quibus causis aegrotus in clinico chirurgico auxilium petiit.

Aegrotus constitutione excellit valida, colore faciei et corporis sano. Scrotum dextri lateris pyriformem, annulo inguinali stricte terminatum, infantili capite majorem tactu omnis doloris expertem, distincte fluctuantem tumorem praebet. Testis amplificatus in inferiori posteriori scroti parte situs est, saltem in ea parte majorem resistentiam animadvertere et minorem fluctuationem licet. Pelluciditas exquiri non potuit.

Quarto die postquam aegrotus in nosocomium erat receptus, operatio instituta est. Tunicis scroti per strata discisis et humore evacuato, testis duorum pugnorum magnitudine omnino degeneratus apparuit, cujus exstirpatio statim non secus ac in tertia observatione descriptum est, in sana funiculi spermatici parte perfiebatur.

Reactio admodum exigua, temperatura paululum aucta, sudor profusus, pulsuum ictus modo centum, pleni, dolores in regione ossis sacri, praeterea nihil, quod aeger conquereretur.

Die XXI. mens. Januar. Somnus, appetitus et

digestio laudabiles, pulsuum nonaginta sex ictus, dolores paene nulli, noctu autem sudores profusi aegrotum valde fatigant, vulnus nulla parte per primam sanescit intentionem, sed ubique pus bonum praebet.

Die XXIII. mens. Februar. Vulnus sensim magnopere, solutione argenti nitrici adhibita, diminuebatur; valetudo universa laeta posset dici, nisi interdum dolores regionis renalis et femoris dextri exorirentur.

Die II. mens. Martii. Vulnus cicatrice tardius obducitur, praeterea aegrotus lectum aliquot ante dies reliquit et bona valetudine utitur.

Exploratio anatomica testis.

Tumor oblongo - rotundus, magnitudinem infantilis capitis fere attingens, superficiem tuberosam praebens, capsula, quae tunicae albugineae valde extenuatae respondet, circumdatur. Funiculus spermaticus cum involucris partim oedemate infiltratus, partim degenerationi carcinomatosae ita obnoxius est, ut dubitare possis, an exstirpatio in funiculi parte omnino integra facta sit. Tumore inciso, magna fusci, spissi, cystide inclusi, humoris copia, tertiam fere tumoris partim explens et anteriori lateri adhaerens, emanavit. Substantia tumoris propria percisa, duo omnino differentia strata cognovimus; e substantia altera cineracea subrubra succus lacteus exprimi potuit. Hac in substantia partim majores portiones erant, partim striae, ramosi circuli subflavae massae, mollem granulosâm et sordidam naturam praebentis. Hae partis capsulis inclusae non erant, sed sine ullis terminis sensim substantiae primo significatae

immiscebantur, quanquam utraque substantia colore distincte discreta erat. In omnibus tumoris partibus lobularis et tuberosa forma praevalet, filis telae cellulosae effecta, quae tumorem septorum instar sulcant.

Cystidem circumdantes parietes 1 $^1/_2$ pollicis crassitiem habebant, consistentiam cartilagineam et microscopio examinati tela cellulosa constabant, uno loco excepto, ubi cellulae cartilagineae manifeste apparuerunt.

Tunicae albugineae obversus paries cystidis stratum subrubrum habuit, quod prius substantia testis fuerat. Canaliculi epithelio obtecti, seminiferis canalibus respondentes, evidenter monstrari potuerunt.

Humor e cystide evacuatus solidiorem, glutinosam massam obscuro-fuscam obtulit, ut credere posses, haemorrhagiam jam priscam et incapsulatam locum habuisse. Disquisitio microscopica multas guttas adiposas, crystallos cholestearinicas et cellulas granulosas, innumeros etiam atomos sordido-fusci coloris ostendebat; elementa corpusculorum sanguinis faciem praebentia nullo modo inveniebantur, quod de vetustis extravasatis sanguineis incapsulatis exspectari non potest. Crystalli etiam haematoidinae non inveniebantur, quippe quae maximam partem parvis in extravasatis in organi cujusdam parenchymate exoriri, majores autem haemorrhagiae degenerationem adiposam subire videantur. Massa tumoris adiposa omnino carcinomatis effigiem ostentat, ubique rete pellucidum tenuiter fibratum multis cum nucleis positum est. Massa flava adiposam subiit degenerationem.

Quum nono die mensis Martii aegrotum vidissem, vulnus inspexissem eumque de sanatione quaesivissem, dolores accusavit in regione renum et ossis sacri, qui eum extra lectum degere non patiebantur. Pulsus centum ictus superabat, appetentia et valetudo reliqua totum per tempus vigebant.

Abdomen explorans supra funiculum spermaticum abscisum tumorem modice resistentem pomi magnitudine inveni, quem vix complecti poteram, juxta funiculum ad regionem iliacam progredientem.

Pressione fortiore adhibita tumor fere omnino doloris est expers. Vulneris minima superior pars pus laudabile adhuc effundit.

OBSERVATIO SECUNDA.

Gustavus Cassbaum, triginta annos natus, sana familia oriundus, ad annum huj. sec. LI. semper bona valetudine gavisus erat. Januario mense anni dicti bello Schlesvico-Holsatico decurionis munere functus ita ab equo decidit, ut plica inguinalis sinistra et scrotum ungula ejus percuterentur. Postquam surrexerat, acerrimis doloribus cruciatus ad castra equitavit, et nonnullas per horas quieti traditus, doloribus parum minutis, decurionis munus iterum suscepit, imo, quum octo diebus praeteritis testis sinister magnitudinem ovi gallinacei adeptus et involutiones Frickianae per paucos dies adhibitae essent, a munere haud abstinuit. Octo circiter vel duodecim hebdomadibus elapsis, in stabulo scrotum et diebus paucis post femur sinistrum aegroti ab equo percutiebantur.

Dolores, quos statim sentiebat, perpaucis diebus praeteritis cesserunt, frigidis epithematibus adhibitis. Inde quum sanus esset dimissus, pluribus decursionibus interfuit et corpori parcere non potuit. Usque ad mensem Aprilem anni praeteriti testis sinistri tumor sensim duorum pugnorum magnitudinem praebebat et praecipue ex ejusdem anni mense Septembri crescebat. In militari nosocomio tunc Jodi tinctura et involutio Frickiana sine ullo eventu adhibebantur. Aegrotus, si testem suspensorio non sustinuit, acerrimos sensit dolores, qui, quum corpori non parceret crebrisque perfrigeriis se committeret, ultimo tempore ita violenti reddebantur, ut die decimo septimo mens. Novembris in clinicum reciperetur.

Status praesens.

Aegrotus corpore firmo, temperamento hilari, colore faciei paullulum flavido, tumoris ortum secuto, ultimo tempore, ut refert, macie confectus est; valetudine ceterum bona fruitur. In sinistro scroti latere pugnorum duorum magnitudinem habens, aequabiliter durus tumor est, qui loco moveri nequit et ad testem pertinet, ubi in posteriore pariete dura etiam et tumefacta epididymis cognoscitur. Tumoris scroti fundus usque ad annulum inguinalem pertinet, inter quem et tumorem densatus funiculus spermaticus sentitur. Tumor dolores graviores non infert, gravitate modo injucundum excitans sensum in funiculi spermatici cursu et adhibita pressione leviter dolens. Functiones sexuales non sunt impeditae, altera ex parte desiderium coeundi tumore exorto incitatum

est. Ex diebus circiter decem dolores ad os sacrum vergentes et in nervi ischiadici decursu sentiuntur.

Die postero operatio facta est. Toto scroto fisso, exigua seri quantitate effusa, penitus degeneratus testis et funiculus usque prope ad annulum abdominalem persectus est et ligaturis circa vasa impositis vulnus per totam extensionem suturis est conjunctum. Aeger narcosi soluta de injucundo chloroformii effectu querebatur.

Noctu valde erat inquietus, pulsus centum et sedecim obtulit ictus. Abdomen mane nullo modo dolebat, impetus modo sensu in praecordiis, doloribus in vulnere, cephalalgia et alvi obstructione vexabatur aegrotus. Vulnus quum tertio die secernere coepisset, infima, ut secretum effluere posset, ligatura aperiebatur.

Die mens. Novembr. vicesimo tertio in superiore parte vulnus erat conclusum, totam per extensionem tamen pus liquidum et sanguinolentum edebatur, ita ut omnes suturae ligaturaeque detruderentur et amoverentur.

Quanquam abdomen doloribus non affectum est, funiculus spermaticus tamen dolorem tumoremque praebebat, siccitas et cutis et linguae, ardor, cephalalgia decreverunt, pulsus fortis nonaginta offert ictus; appetitu adhuc carens ceterum valetudine fruitur bona.

Die primo mens. Decembr. Suppuratio optima, nullo modo cruenta, vulnus granulationibus funditus plus dimidio clausum est.

Vulnus cicatrice obtectum ad dimidium pollicem

contractum est; in infima parte parvum adhuc exstat foramen, per quod pus bonum guttatim effluit. Valetudo bona est et aegrotus nullis doloribus affectus decimo quarto die mensis Decembr. nosocomium relinquit.

Exploratio tumoris.

Tumor magnitudine ovi anserini superficiem iniquam, asperam, consistentiam modice resistentem praebet. In funiculo spermatico densato vas deferens et arteriae et venae notari possunt. Vas deferens, quod in tumorem ipsum persequi licet, in eodem ramificatum dissolvitur.

Testis et epididymidis lineae extremae non accurate distinguuntur, attamen alba, solida linea relictam corporis Highmori partem ostendit, unde multi rami praecipue in infimam tumoris partem emicant, qua re ille ex parte in lobulos divisus videtur, rubescente, molli, glandulis simili substantia intermedia expletos. In superiore et epididymidi respondente parte tumor cernitur lobosus in superficie aspera, duriore consistentia, qui discisus albam languide candentem tensamque texturam ostendit. Hac parte compressa, lacteus evacuatur succus, in quo sine ullo ordine cellulae alveolares dispersae jacent, quae subflavam mollemque massam continentes microscopio exploratae guttas et cellulas adiposas et canaliculos seminales adipem continentes praebent. Illa supra descripta textura retiformem telam cellulosam continet, in qua cellulae diversae figurae,

plurimum rotundae et cylindricae, partim sine ordine, partim in cavis perspicuis positae sunt.

Sub tunica albuginea stratum lineae crassitudine testis substantiae reperitur, in quo aperte canales seminales adiposa degeneratione completos, nusquam autem spermatozoa reperimus. Tunica testis propria valde est condensata.

Aegrotus, quod ei praeceptum erat, domi vitam agebat vulnusque plane claudebatur. Lectulo jam relicto, breves fecit ambulationes; circiter sex hebdomadibus elapsis dolores in funiculi spermatici cursu sentiebat usque ad os sacrum et regionem renalem sinistram pergentes, ut rursus decumbere cogeretur.

Ex illo tempore pluribus jam medicis consultatis perpetuo in lecto detinebatur et medicorum nonnullorum praeceptis kalii jodati ʒj per diem, externe unguento kalii jodati utitur, quae medicamenta olei jecoris aselli dosibus paulatim auctis permutantur; abdomen oleo Hyoscyami cocto perfricatur, ad tumorem hirudines applicantur.

In annulo abdominali, ubi funiculus spermaticus est abscisus, globosus reperitur tumor, qui percussione adhibita usque ad lineam albam et ad umbilicum indagatur.

Palpatione mediocriter durus, elasticus tumor sentitur, qui perpetuo ita dolet, ut aegrotus somno omnino destituatur. Pressione minima acerrimi dolores exoriuntur, qua de causa finem tumoris posteriorem constituere non potui. Vulnus scroti, quod jam omnino cicatrice erat obtectum et ad pollicem unum contractum, in infima parte cicatrice sponte

rupta aquosi foetidi liquoris parvam portionem edit. Aegrotus appetitu et somno carens valde macrescit, doloribus et febri hectica vexatur.

OBSERVATIO TERTIA.

Adolphus Braun, ante viginti octo annos parentibus sanis natus, unquam se laborasse negat morbo, excepta bronchitide, quae anno superiore sine ullo medicorum auxilio, adhibitis modo medicaminibus domesticis, post duodecim circiter hebdomades cesserit.

Jam a teneris alterutro destituitur testiculo; annos III natus tumorem animadvertebat haud dolentem in sinistra inferiore scroti parte, quem, quum ex altitudine circiter quinque pedum in aquam passis fèmoribus desiluisset, exortum putat. Hunc tumorem lente crescentem medici disquirentes herniam inguinalem esse dixerunt et fasciam hernialem tumori non reposito subjecerunt, quam autem propter dolores ferre non potuit.

Medio mens. Septembri a. LIII, quum aegrotus comesta brassica flatibus cruciaretur, subito sternuens dolores permagnos in scroto et quasi corpus quoddam ex canali inguinali in scrotum delabi sensit; dolores motibus femoris sinistri valde augebantur, num autem tumor statim multo creverit, aegrotus nescit. Inde semper dolores tumorem tenebant, qui quiete minores, motu graviores evadebant. Initio mens. Octobris dolores ad os sacrum pergere coeperant et vespere ita augebantur, ut noctu haud raro somnum fugarent.

Ex quatuordecim diebus autem dolores tantopere sunt aucti, ut ne minimum quidem somni accedat, quare aegrotus nosocomium adiit. Appetentia digestioque, diebus novissimis exceptis, incolumes erant.

Aegrotus habitu mediocriter vegeto, colore faciei flavescente, tempore ultimo multum se macrescere dicit. Pulsus satis plenus et validus ictus centum et octo exhibet. Percussio et auscultatio thoracis ubique normalem sonum et strepitum edunt, excepta fossa supraspinata, ubi sonus minus clarus et strepitus minus insignis auditur. Cor, hepar et lien magnitudine normali, abnomen excrementis accumulatis paululum tumens.

Scrotum valde auctum ad capitis infantilis circiter magnitudinem, in circuitu inferiore globosum, ad canalem inguinalem in longitudinem diductum. Integumenta tumoris in inferiori circuitu paullulum rubent, ubi etiam venarum hypertrophia esse videtur. Reliqua scroti cutis pars normali est colore.

Tactu quidem tumor in parte inferiori anteriori superficiem laevem, elasticam praebet et passim aperte fluctuat. Pars posterior inaequalis, tuberosa, dura est.

In annulo inguinali externo funiculus spermaticus plane expeditus, degeneratione non affectus sentitur. In funiculo spermatico descendens $1\frac{1}{4}$ pollicem infra annulum inguinalem tumor invenitur ovalis, qui in superiori parte quidem facile circumscribi potest, in inferiore autem ad globosum tumorem vergens minus strictos habere videtur terminos. Hic tumor compressus, sicuti testis saucius, si premitur, dolet. Vespere, imprimis post longiorem ambulationem, tu-

mor in parte superiore scroti sinistri crescit, mane minor est, sed plane nunquam cedit. Aegrotus si tussit, magnis doloribus in regione ossis sacri tentatur, nec perspicue ictus propagatus sentitur.

Testis lateris dextri in scrotum non demissus in inferiore canalis inguinalis parte tumorem nucis avellanae magnitudine efficit.

Postquam primis diebus magna faecum copia oleo Ricini adhibito expulsa erat, biduo postquam aegrotus in nosocomium erat receptus, operationi undecimo die mensis Novembris submittebatur.

Tunicis scroti sinistri per strata discisis, parva copia seri fusci limpidi emanavit; incisura tam superne quam inferne elongata usque ad annulum inguinalem, et testis et funiculus spermaticus degeneratus inveniebatur; pollic. $1\frac{1}{2}$ infra annulum inguinalem castratio facienda erat.

Hac ex causa statim funiculus spermaticus, firma ligatura ei imposita, discisus est in saucia parte et testis degeneratus ovi anserini magnitudine e scroto ablatus. Deinde vasis funiculi spermatici itemque nonnullis e scroti vulnere emicantibus ligatura substrictis, quarum in universum sex fuere, pars vulneris inferior sutura nodosa conjungebatur, superior linteo concerpto leviter sarciebatur, toti vulneri epithemata frigida imponebantur.

Aegrotus e narcosi expergefactus valde irritatus noctu, quanquam gr. $\frac{1}{4}$ morphii porrecto, minime dormivit.

Postero die valde languidum vultum praebet et dolores quidem certos non accusans multum plorat.

Cutis arida et sicca, lingua summa pituita obtecta, pulsus parvus et debilis centum et viginti ictus offerens. Quum ab hesterno die secessus non intraverint, duo olei Ricini cochlearia cum successu praebentur. Post meridiem inquiete crescente iterum morphii gr. $^1/_4$ datum somnum per aliquot horas effecit, quo excitatus aegrotus valde roboratus mediocriter valebat.

Vespere pulsu centum et quadraginta ictus exhibente, gr. $^1/_4$ morphi datur. Propter dolores in regione sinistra iliaca diligentissime frigida epithemata imponuntur.

Somno quieto aegrotus altero mane multo tranquillius et melius se habet, cutis minus arida, sitis et siccitas oris diminutae sunt, appetitus adhuc deficit.

Abdomen nullibi nisi supra annulum inguinalem fortius pressum dolet, pulsus quidem adhuc centum et quadraginta offert ictus, sed plenior est, vespere tantum centum et triginta ictus numerantur; hodie etiam morphii gr. $^1/_4$ adhibetur. Vulnus optimam praebet imaginem; loco epithematum frigidorum cataplasmata emollientia adhibentur, quo facto magna puris aquosi copia emanat.

Die decimo sexto. Vulnus scroti repurgatum, Inf. chamomillae et vino camphorato ter per diem ligatum, pus bonum et laudabile edit. Valetudo multo melior, somnus morphio non adhibito optimus et quietus, temperatura corporis paullulum aucta, lingua pura, siccitas oris exigua; secessus aut oleo Ricini aut clysmatibus efficiuntur. Pulsus frequentiam centum et viginti ictuum ostendit.

Die vicesimo. Vulnus scroti in parte inferiore per primam clausum intentionem, in parte superiore pus bonum edit. Status virium bonus et appetitus, quanquam adhuc exiguus, adest. Irritatione subito facta, pulsus ad frequentiam ictuum centum et quadraginta nonnunquam evehitur, solito autem more centum et viginti exhibet. Secessus emulsione oleosa cum natro nitrico efficiuntur.

Die vicesimo sexto. Pars vulneris superior depurata plus quam media bonis granulationibus funditus completa pusque semper bonum est. Appetitus, lingua et cutis bene se habent, secessus oleo ricini efficiendi sunt. Inquies, quae nonnunquam noctu oritur, semper morphii grano $^1/_8$ sedatur.

Mirum est, quod, quamvis aegrotus bene se habet, pulsus tantam adhuc retinet frequentiam, quae semper centum et sedecim ad viginti octo offert ictus. Aegrotus hodie, die vicesimo septimo mens. Novembr., nosocomium relinquit, ut domi curatio absolvatur.

Disquisitio et anatomica et microscopica tumoris testiculi.

Tumor magnitudine ovi anserini lobatam praebuit superficiem, consistentiam admodum mollem tenacis instar cerebri substantiae; discisus colore fuit cineraceo, interspersis permultis sanguinis corpusculis; passim color fuscus et fusco-niger multaque vasorum lumina cognosci possunt. Tunica vaginalis et testis et funiculi spermatici valde condensatae sunt. Vas deferens a funiculo spermatico usque ad infimam fere tumoris partem multifariam per tumorem ramificatum indagare potuimus.

Testem ab epididymide discernere non licuit, nisi in parte anteriore inferiore, ubi 1 ¼ pollices longum, unum pollicem latum et duas fere lineas crassum stratum significari potest, granulatarum glandularum more; intuitu et microscopio permulti canaliculis seminalibus similes cuniculi inveniuntur, qui fibroso involucro circumdati et cellulis rotundis et fusiformibus impleti sunt.

Parva amplificatione in singulorum loborum centro vasorum lumina cognoscuntur, strato cellularum fusiformium circumdata, quod iterum hic et illic strato clariore, haud dubie adiposo, cingitur. Intra singulos lobos passim massa gelatinosa et globosa et minus clare granulati adiposi globuli inveniuntur. Quos ultimo loco descriptos globulos imprimis animadvertimus in circuitu emollitorum sanguinis extravasatorum, quae quasi cystides obscuro, fusco, in fila diducendo humore impleta ex adipe et destructis sanguinis corpusculis exorta, in tumore reperiuntur. Recentes etiam et nondum emolliti haemorrhagici infarctus magnitudinis piperis aut fabae inveniuntur.

Brevi tempore postquam aegrotus nosocomium reliquerat, tumor dolorificus juxta funiculi spermatici sinistri finem emersit, qui tam celeriter et magnitudine et doloribus crevit, ut lectum nec relinquere posset, nec unquam dormiret, quia semper acerrimis ad dorsum et os sacrum pergentibus doloribus cruciabatur.

Octo fere per hebdomades domi curatus ad nosocomium XXIII m. Februar. reversus hanc praebuit imaginem.

Aegrotus pulsum centies et quadragies micantem admodum debilem offert; corpus macilentum, facies pallida, vox debilis, appetentia bona, secessus plurimum spontanei sunt, somnus non nisi morphio adhibito accedit. Extremitates inferiores oedemate valde tumentes, pressione vehementissime dolentes vix paululum movere potest, simul in osse sacro decubitus thaleri magnitudine exstat, ita ut aeger supinus cubare nequeat.

Sinistri scroti cicatrix ad pollicem unum et dimidium contracta est, sed ea cicatricis pars, quae in tegumentis abdominis sita est, valde oblongata et latior facta, tumore in anteriorem partem admodum prominente, qui in abdominis cavo situs in superiore parte in alterum tumorem transit, qui latitudine ab ossis ilium crista fere ad umbilicum vergens, in posteriore parte usque ad renum et lienis regionem progreditur, quod quidem percussione solum, non palpatione cognoscitur.

Hic major tumor solidus et densus est, ille autem manifestam fluctuationem praebet.

Minoris momenti aegroto tumoris pressi est dolor, sed magnum infert tumor incommodum cutis tensione. Abdominis integumentorum venae valde extensae quasi rete vasculosum efficiunt extremitatesque inferiores ex impedito sanguinis refluxu usque ad pedis digitos multo oedemate sunt infiltratae.

Curationem nullam nisi symptomaticam adhibendam esse, vix opus est quod dicam: interne contra dolores aquam amygdalarum amararum adhibuimus, externe unguentum extracto belladonnae compositum

contra tensionem et dolores infricabatur. Decubitus spleniis vino camphorato imbutis obtegebatur. Ad somnum parandum quotidie morphii acetici gr. ½ sumsit aegrotus.

Die duodecimo mens. Februar. Vires sensim diminuuntur, vox fere omnis sonitus expers, facies admodum pallida; decubitus supra dictus os sacrum adiit, cujus extrema lamella exfoliatur. Frequentia pulsuum eadem, appetentia, somnus, alvi excretio, adhibito clysmate, satis bona. Tumor major paullulum ad latus dextrum procedit, ita ut fere lineam albam attingat. Sponte dolores raro in tumore existunt, vehementissimi autem motionibus fiunt.

Die vicesimo status universalis idem. In dextro trochantere decubitus volae manus magnitudine; in latere sinistro etiam dolores oriuntur. Urina turbida, fusca largum facit sedimentum et reactionem acidam praebet, pulsus debilis eandem offert frequentiam.

Die vicesimo secundo. Quamvis sex cochlearia olei Ricini pluraque clysmata adhibita sunt, ex biduo aegroti alvus nil reddidit. Noctu autem insequente subito alvum retinere aeger non potest, quae sponte secedit cum urina; mane viribus maxime collapsis, extremitatibus madidis, facie Hippocratica, aegrotus segnis in lecto cubat neque ullos dolores accusat. Pulsus vix sentitur, vox omni sono est privata.

Per diem vires sensim deficiunt et quinta hora pomeridiana áegrotus respiratione magis ingravescente obit.

Sectio viginti horas post mortem.

Corpus, imprimis facies, admodum macilentum, extremitates inferiores oedemate valde tumefactae, abdomen mire prominens. In funiculi spermatici regione tumor majoris pomi magnitudine, cuti valde diminuta tectus, apparet. Pulmones omnino saucii adhaesionibus et tuberculis carent. Cor normalem habet formam.

Abdomine recluso, statim permagnus tumor conspicitur, qui totum abdominis sinistrum latus explet et aliquantum in partem dextram transgreditur; supra tumorem, paullulum ad finem ejus sinistrum, colon descendens decurrit magnumque deorsum facit arcum. Forma *S* romani fere plane disparuit, colon dextrum magno circuitu a parte exteriore ad mediam in rectum ipsum transit. Omnia intestina tenuia dextrum in latus conferta tenuissima faecibusque vacua sunt. Colon transversum normalem tenet situm.

Omentum supra tumorem extenditur et parte ejus infima solide conjunctum venis permultis excellit. Ventriculus heparque normalem situm et formam referunt.

Cavum abdominis sero cruento impletum. In pelvi minore nonnulla sanguinis coagula jacent, in quibus ipsis partes tumoris inerant, quae utrum corpore adhuc vivo ex tumore ibi rupto, an post mortem moto cadavere emanaverint, certo constitui nequit. Prima quidem sententia non est verosimilis, quia tunc haemorrhagia e carcinomate emollito multo major fuisset.

Tumor undique peritonaeo obtectus, permollis, imprimis in parte inferiore facillime dirimi potest et a funiculi spermatici abscisi fine sursum usque ad diaphragma, quod paullulum eo elatum est, ad dextrum latus a promontorio tres pollices transgreditur ita, ut totam ibi positam columnam obtegat. Media in parte septem pollices crassus margines versus diminuitur crassitie. Superficies posterior intime vertebrali columnae adhaerens et singulorum vertebrarum corpora non solum aspera, sed etiam plane destructa sunt, ita ut, quum tumorem ex abdomine tollere coneris, in spinalem canalem digiti ingrediantur. Eodem conatu ex tumore multis locis rupto pulticula sanguinolenta rubeola undique emanat, ita ut tumor sublatus multo minor et collapsus videatur. Tunc columnae vertebralis destructionem aperte intueri licet, quae destructis exemptis hanc conditionem praebuit.

Substantia vertebrarum dorsi IX, X, XI tumebat et adeo erat mollis, ut scalpello perforari facillime posset. Vertebrae duodecimae et lumbalium superiorum corpora omnino destructa et resorpta erant, fibrocartilagines intervertebrales, ligamenta capitulorum costarum et interarticularia, sicuti trabeculae projectae saltem medullam oblongatam a tumore prementе tuebantur. Medulla et tunicae ejus nondum erant destructae.

Tumoris exploratione haec cognoscebantur: Consistentia totius massae mollis, praecipue inferiore in parte et ea, quae vertebris cohaerebat. Incisus tumor nonnullas inter se diversas partes exhibuit.

Inferior tumoris pars obscure fusca tam externe quam interne, dilabens nonnullas capsulas cellulosas consistentiae durioris et adhuc incolumes obtulit. Media et superior pars paullulum erat solidioris substantiae, incisa minime parte illa perspicua et nondum collapsa cava, pulti simili, sordide fusco impleta ostendit. Ubique tumor permultis vasis trajectus erat, sed non adeo, ut ex iis, quemadmodum in inferiore parte, colorem cruentum massa adipisceretur. Multis locis striae majoris resistentiae erant colore subflavo ex pigmento fusco, quo tota massa abundabat.

Tertiam poteras invenire mutationem in partibus ad dorsum vergentibus, ubi parvi, albi globuli pomi magnitudine et quod excurrit, irregulariter formatae massae ejusdem coloris, uti in fungo medullari, exsanguis et diffluentis inveniebantur.

Jam antea descriptae persectione conspicuae excavationes microscopio examinatae hunc adspectum praebebant: Tenerrimae alveolares cellulae tenuissimo fibrato et magna aquae copia adhibita vix conspicuo reti inclusae erant. Cellularum elementa hoc reti conclusa fere omnia degenerationem adiposam subierant, quae eadem in rete constituentes cellulas telae cellulosae progressa erat. In illis albis manifeste recentissimis partibus maxime guttae adiposae seu globuli in cellulis jacebant. In solidioribus partibus adeps erat pulti similior et sordidum insuper in iis pigmentum luteum, per quod Crystalli haematoidinae dispersae fuerunt.

Proinde tumor iste carcinoma adiposum retro-

peritonaeale appelletur necesse est, si ea carcinomata, in quibus cellulae vix exortae adiposam degenerationem ineunt, hoc nomine impertire vis. (Beobachtung über Carcinom. Wiener Notiz.)

In hepate octo vel decem noduli pisiformes, nucis juglandis magnitudine, coloris albi, minimae resistentiae exstabant, pariter ac globuli albi tumoris sese habentes.

Ren dexter, vesica et ureteres et forma et amplitudine normales erant, ren sinister tumore obtectus vix tertiam dextri magnitudinem habebat, strata normalis erant texturae et omnino exsanguia.

Aorta abdominalis et vena cava adscendens tumore circumdatae ad dextram propulsae, vena cava, vena iliaca et femoralis, praecipue sinistra, sanguine jam diu coagulato ultra diaphragma obliteratae erant.

Carcinoma testis plerumque initium debet intumescentiae obscurae durae maximaque ex parte globosae testis, posthac ad epididymidem transit et tunc celerius progreditur. Initio dolores comitantes rari et parvi sunt, sed minima contusione vel perfrigerio subito aucti quiete ad statum priorem reducuntur. Tumor tunc celeriter crescens stratis tangentibus haud raro adhaeret eaque ex causa scrotum non per omnes partes super tumorem moveri potest. Compressione dolores effici non solent. Procedente tempore etiam funiculus spermaticus tumescit per canalem inguinalem in cavo abdominis et carcinomatosae degenerationi submittitur. Morbus si eo usque progressus est, glandulis inguinalibus et infra et supra canalem inguinalem tumefactis, veneni carcinomatosi resorptio-

nem indicat. Semper etiam aegrotus, adductis femoribus et collapsis abdominis tegumentis in lecto cubans, pressione maximos tumoris dolores in regione renali sentit.

Testis si morbo ineunte in funiculo spermatico exstirpatur et morbus recidivus in cavo abdominis exoritur, aegrotus semper in renali regione primos dolores sentit.

Initio constitutio nullo modo mutatur, sed color pallidus indicat, morbum non solum localem, sed totam valetudinem ejus participem esse. Dolores posthac sensim crescentes somnum auferunt, extremitas inferior lateris aegroti primum, postea etiam altera extremitas, impedita sanguinis circulatione, oedemate tumescit, id quod in tertio casu relato etiam animadvertebatur.

Aegroti doloribus semper auctis cruciati vel omni somno privati virium prostratione, appetitus defectu, febri hectica tentati, moriuntur, vel si in cavo abdominis tumor tantus est, ut diaphragma in thoracem propellat, mors dyspnoea inducitur.

De diuturnitate decursus certa dicere non possum, quia prima exordia morbi raro explorantur, valetudo bona et mala decursum valde elongare et jam diutius intumescentia chronica existere potest sine ullo aegroti detrimento.

Causae hujus morbi nondum satis innotuerunt; partim generales, uti constitutionales, irritatio permagna, dyscrasia quaedam et digestio morbosa, partim locales fortuito accedentes, uti contusio, conquassatio, vulneratio testis accusantur.

Morbus, ut opinor, apud eos, qui dyscrasia quadam opportuni ad eum redduntur, casu quodam, ut in tribus illis observationibus externa testis contusione, excitari potest.

Carcinoma et hydrocele eo distinguitur, quod illud omni perspicuitate caret; cetera hydroceles symptomata in utroque morbo inveniri possunt.

Ceterum dolores nonnunquam exorientes, lanciniantes et ad os sacrum et regionem renalem pergentes, situ quieto etiam et scroto suspenso redeuntes observantur; interdum, si morbus progrediebatur, funiculus spermaticus tumens et maxima ex parte a morbi initio faciei color pallidus reperiuntur. Plerumque cum carcinomate hydrocele juncta est. Omnia haec discrimina, si diagnosin nondum certam reddunt, punctio ultimum et certissimum est adminiculum.

Curatio radicalis nondum datur; exstirpatio enim testis morbosi, quanquam operatio sanis in partibus facta est, nullo modo morbum recidivum prohibet, quia in abdominis cavo plerumque a funiculo spermatico absciso, raro aliis in partibus, incipiens non restringendos progressus facit; in hepate enim, quod tertia observatio docet, carcinomatosi nodi tempore posteriore orti existunt. Semper carcinoma exitum letalem affert. Hufeland baryta chlorata, Tott extracto aconiti et belladonna, medici nonnulli anglici spongia usta sanari carcinoma dicunt, sed morbos testis his medicaminibus sanatos carcinoma fuisse nego.

Curationem igitur symptomaticam esse tantum posse, facile est intellectu, ad vires nempe restituendas, ad digestionem corrigendam, somnum arces-

sendum, dolorem leniendum et alios morbos, prout fieri potest, arcendos. Constitutionem meliorem reddendi pium est desiderium.

Operatio me judice semper est facienda, si funiculus spermaticus extra annulum abdominalem adhuc saucius est et valetudo nondum morbo ita affecta, ut vires operationi succumbant.

Operatione enim aegrotus doloribus testiculi liberatur et quia vulnus plerumque celeriter sanescit, lectulum relinquere potest.

Morbus si adeo est progressus, ut funiculus spermaticus etiam in cavo abdominis funis instar sentiatur, testis amputationem facere non licet, quia sine ullu emolumento, febri operationem secuta, aegroti vires consumuntur et carcinoma celerrime screscens prius mortem infert. De prognosi ut multa faciam verba, non opus est; jam initio quod ad sanationem mala, melior quod ad vitam, quia medicaminibus morbi decursus restringi potest. Saepe fit, ut ablato teste carcinoma nonnullos intra menses, imo duos annos, non revertatur.

VITA.

Carolus Fridericus Joannes Koschny natus sum die vicesimo quinto mensis Octobris a. h. sec. XXIX, fidei addictus evangelicae, in oppido Posnaniensi Ostrowo, patre Carolo, matre Henrica e gente Winckler, quos vivos salvosque adhuc veneror quosque Deus benignus in posterum mihi servet incolumes. Litterarum primordiis imbutus sum et in schola urbana et domi privato praeceptore Schubert, candidato theologiae, cui optime de me merito maximas quas habeo gratias ago. Adolescens tredecim annorum gymnasium illustre Bregense, quod etiamnunc Cl. directore Matthisson floret, per sex annos et dimidium frequentavi.

Testimonium maturitatis adeptus mense Aprili anni quinquagesimi h. s. voluntarius inter cives Instituti regii Friderico-Guilelmiani medico-chirurgici receptus hisce interfui scholis:

Cel. Werder de logice et psychologia, Cel. Preuss de historia, Ill. Schultz-Schultzenstein de encyclopaedia medica, Ill. Lichtenstein de zoologia, Beat. Link de botanice, de historia naturali generali, Ill. Weiss de mineralogia, Ill. Dove de physice, Ill. Mitscherlich sen. de chemia organica et anorganica, de pharmacia, Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, anatomia organorum sensuum, Ill. Mueller de anatomia universa, comparata, organorum sensuum, de physiologia, Ill. Mitscherlich jun. de materia medica, de medicamentis excitantibus, Exp. Lauer de therapia generali et semiotice, Cel. Troschel de fracturis et luxationibus, de arte fascias rite imponendi.

In arte cadavera rite secandi mihi duces fuerunt Ill. Mueller et Ill. Schlemm.

Post biennium ab Ill. Dieterici, rectore magnifico, universitatis Fridericae Guilelmae civibus adscriptus et ab Ill. Juengken, decano maxime spectabili, in album medicorum relatus duos per annos hisce interfui scholis:

Ill. Mueller de anatomia pathologica, Ill. Juengken de chirurgia et de laesionibus, Ill. Schultz-Schultzenstein

de pathologia generali et therapia, Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali, Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi, Ill. Langenbeck de articulorum morbis, Cel. Simon de syphilide, de morbis cutis, Cel. Ebert de auscultatione et percussione, Exp. Schoeller de arte obstetricia, Exp. Gurlt de fasciis rite applicandis.

Praeterea practicis exercitationibus interfui virorum Cel. Exp. Ill. Ebert, Juengken, Langenbeck, Romberg, Schoeller, Simon, Wolff. Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Carcinoma nunquam locale.
2. Labii leporini paucas post partum horas operationem instituere licet.
3. Arsenicum morborum cutis inveteratorum optimum est remedium.
4. Chloroformium optimum est anaestheticum.
5. Optimum remedium intoxicationis per chloroformium aëris inflationes exhibent.

de pathologia generali et therapia, Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali, Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, de medicina forensi, Ill. Langenbeck de articulorum morbis, Cel. Simon de syphilide, de morbis cutis, Cel. Ebert de auscultatione et percussione, Exp. Schoeller de arte obstetricia, Exp. Gurlt de fasciis rite applicandis.

Praeterea practicis exercitationibus interfui virorum Cel. Exp. Ill. Ebert, Juengken, Langenbeck, Romberg, Schoeller, Simon, Wolff. Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Carcinoma nunquam locale.
2. Labii leporini paucas post partum horas operationem instituere licet.
3. Arsenicum morborum cutis inveteratorum optimum est remedium.
4. Chloroformium optimum est anaestheticum.
5. Optimum remedium intoxicationis per chloroformium aëris inflationes exhibent.